

Dominicæ MCLXI. Pontif. vero Domini. Papæ Alexandri III. anno tertio.

Cum plumbo impendentis signi, videlicet Alexander Imp. III., & in eo adest imago SS. Petri, & Pauli.

Diploma Friderici Imp. ann. 1164. Gulielmo marchioni Montisferrati confirmatum a Carolo Imperatore anno 1355. Johanni Marchioni.

49

M C L X I V.

Carolus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiæ Rex. Omnibus in perpetuum Regalis sublimitatis gloria, quæ in multitudine plebis, & populo honorificato consistit, hanc constituit sibi legem, & per illas semitas liberalitatis incedit, ut beneficiorum suorum, quorum rivus est indeficiens incrementa derivet in subditos, & ad eorum procurandi commoda totis conatibus elaboret, nec in iis Regiæ Majestatis erat propositum si hos cæteris in gratiarum distributionibus anteponat, quos linea consanguinitatis, & immotæ fidei, & devotionis constantia efficiunt cariores. Sane per parte Illustrissimi Joannis Marchionis Montisferrati Principis, & consanguinei nostri dilecti oblata nostræ celsitudini regiæ petitio continebat, quod cum ipse nonnullas terras, districtus, civitates, oppida, burgos, castra, curtes, villas, possessiones, & prædia, ac res, & bona, seu loca alia, necnon privilegia, & literas, libertates, honores, jurisdictiones, ac civitates, & jura ad Marchionum præfatum ratione Marchionatus prædicti pertinentes, & pertinentia habeat sibi, & progenitoribus suis Marchionibus Montisferrati per plures celebres recolendæ memoriæ Divos Imperatores, & Reges Romanorum prædecessores nostros & specialiter per quondam Federicum Imperatorem, & Conradum electum Roman. magnificos donata, concessa, & etiam confirmata prout in privilegiis, & literis hujusmodi, quorum, & quarum examen sapientibus aulæ nostræ regalis committere duximus, plenius continetur: prædicta omnia, & singula ratificare, approbare, renovare, & de novo concedere de regali clementia dignaremur quorum quidem privilegiorum tenore, & primo Frederici Imperatoris præfati de verbo ad verbum taliter subsequitur. In nomine sanctæ, & individuae Trinitatis Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus, Imperiali congruere videtur honori, ut fidelium suorum devote, & honeste Imperium servientium præclara benigne respiciant obsequia, & qui cæteris fide, & obsequio promptiores extiterunt, cum congruis beneficiis, & honoribus Imperiali largitione sublimentur; ea propter notum facimus omnibus imperii nostri fidelibus, tam futuris, quam præsentibus per Italiam constitutis, quod nos dilecto fideli nostro Gulielmo Marchioni de Monteferrato pro magnitudine, & multitudine servitorum, quæ nobis sæpenumero exhibuit castrum Cavagnolium, & Vesternam cum jure, & eorum pertinentiis, cum fodro, & bando, & omnibus regalibus nostris, pascuis, pratis, silvis, terris, pratis cultis, & incultis, aquis, moltis, piscationibus, ripis, ripativis,

molendinis, & cum omni honore, & districtu, & fidelitate hominum concessimus, donavimus, & præsentis scripti auctoritate ei, & hæredibus ejus confirmamus imperiali auctoritate statuentes, & præcipientes ne aliqua civitas, necnon consulatus, seu alia aliqua persona parva, vel magna prædictum Marchionem, aut ejus hæredes in hac donatione nostra de cætero inquietare audeat, vel in aliquo præsumat molestare, quod si quis ausu temerario contra hoc nostræ auctoritatis præceptum facere præsumpserit centum libras auri pro pœna componat, medietatem fisco nostro, & reliquam medietatem Marchioni, & ejus hæredibus: cujus rei testes sunt Garfidonius Mantuanus Episcopus, Lauden. Episcopus, Otto major comes Pallatinus, Guido comes Blandraten. Margardus de Grinubach, Vebeardus de Lukembergh, Allo confalonarius, Guido de Schonazario, & alii quamplures. Dat. papiae, apud sanctum Salvatorem anno millesimo centesimo sexagesimo quarto, Incarnationis Dominicæ IX. calendis octobris. Nos igitur attendentes dicti Marchionis fidei, & devotionis constantiam, ac alia prohibitatis merita, quibus nostrum, & sacri Imperii favorem, & gratiam promeretur, & volentes votivis suis, instantiisque a rationis tramite non discordant consensu gratioso favore sibi, suisque hæredibus præscripta privilegia, seu literas secundum omnem modum, & formam eorum, vel earum uti, cum præmissis omnibus, & singulis locis, terris, territoriis, castris, castramentis, burgibus, curtibus, villis, aquis, aquarumve decursibus, paludibus, silvis, venationibus, gratiis, immunitatibus, hominibus, seu vassallis, & quibuscumque nominibus in eisdem privilegiis expressis, etiam nominentur de nostra Regali clementia, prout digne possumus, approbamus, rattificamus, renovamus, & ex certa scientia tenore præsentium confirmamus, ac de novo concedimus, & largimur; nostris tamen, & sacri Imperii, & quorumlibet aliorum juribus in omnibus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem nostram regiam, & pœnam centum marcharum auri puri componendarum se noverit graviter incursum, quarum medietas fisco nostro regali, reliqua vero medietas passorum injuriam usibus debeat applicari. Decernentes nihilominus irritum, & innane, si quid contra præmissa vel eorum aliquid a quoquam quavis temeritate contingerit attemptari præsentium sub nostræ majestatis sigillo testimonio literarum. Dat. Pisis, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, octava indictione, tertio nonas februarii, regnorum nostrorum anno nono. Signatis in angulo per D. Joannem Episcopum Luchonium Cancellarium Joannis Augustini, sigillum non erat annexum, sed datum est sejunctum ab ipso, quod est impressum in cera sui coloris. *Concordat hoc exemplum cum eo originali.*

Princivallus.

Concessio